Perillustris domine,

Iamdudum aliquid de rebus meis dig. S. P. Q. Rhenen.si perscripsissem, nisi publicis gravissimis negotÿs te intellexissem hactenus cum Celsissimo Principe detentum fuisse Groningæ, ubi vel cœnanti, vel cubitum eunti, vel è lectulo surgenti, vel ad momentum denique ambulanti excidisse, ut solent, audio divina aliquot Epigrammata, idest vere tua. Loci hujus et fati mei infoelicitas, quæ omnium venustatum leporum ac acuminum distractionem et vasticiem fecit, omnia ista mihi invidet nisi quod unum vi derim habeamque beneficio Hulsÿ nostri Belgicum, quo cum Sibyllam vaticinari dicis, minimè miror, quandoquidem et tu Apolline afflata erat et tui interpres. Musæ meæ quid hic agant, si quæris, optime Mecœnas, verbo dicam, frigent. quid enim hic agant, ubi Latinè intelligant vel duo vel nemo, erectum vero aut elegans Epigramma ~~vero~~ nemo hercule nemo! Ergo nihil me, sicut antea, juvat scribere versiculos dolore perculsum gravi. tum autem scholasticus iste strepitus, murmur, dissoni clamores (et quid non?) omnem mihi, ut obiter plaudissem, cerebrum excutiunt. plura volueram et tibi

scripsisse, et ingenio natu maximo filio tuo cui paucissima scripsi sed urget discessum amicus qui has exhibebit. Dixit Hellersiegius ut et Hulsius, Antverpiam celebrium urbium vos meditari: id si ita est, felix iter atque optatum tibi precor. obiter ex Horatio concludo Sic te diva potens Cypri, Sic fratres Helenæ lucida sidera Ventorumque regat Pater, Navis quæ tibi creditum debes Hugenium finibus [Hollandicis] hunc suis reddas incolumem, precor. Et servus animæ præsidium meæ, in quo omnibus desino me et solito favori tuo commendo quascunque aspexeris oras tuus Perillustris Domine omni obsequio Henricus Bruno. Raptim Grimbergæ sive Rhenis. IIII. Cal. Nov. stylo Juliano. CIↃIↃCXLVII.

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 95
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4893

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 95
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4893

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 95
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4893

Mijn Heer

Mijn Heer van Zuylichem,
Ridder, Raedt en eerste
Secretaris van Syn Hoocheyt

In 's Gravenhage
door vriendt.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 95
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4893